

3° Verba ambigua, vel minus propria interpretanda sunt ex tempore, in quo Auctor vixit, atque ex placitis, quae ipsum amplectum esse constat ¹.

4° Sententias obscuras Scriptoris explicare oportet ex fine, quem ipse sibi proposuit, ex iis, quae antecedunt, et consequuntur, ex vitae ipsius conditione, et professione, et ex collatione locorum, in quibus Auctor eandem doctrinam exposuit.

probavit, sed etiam ex eo, quod, ut Theologi ostendunt, a doctissimis, et probatissimis viris confectae sunt.

¹ Hac regula s. Augustinus (*De vera Relig.*, c. 40, et alibi) monuit explicandas esse quasdam veterum Scriptorum locutiones, quae haeresibus post eos exortis favore videntur.



DYNAMILOGIA

1. Illa pars Philosophiae, quae circa facultates animae versatur, *Dynamilogia* nuncupatur, atque ad eam scientiam animae pertinet, quae *Psychologiae* nomen habet ¹. Nos primum de facultatibus animae generatim disseremus; deinde singularum naturam, modum operandi, obiectumque proprium scrutabimur; ex qua investigatione primum nobis erit colligere, quomodo illarum facultatum, quae cognitrices dicuntur, subsidio ad primas cognitiones rerum perveniamus, et quaenam vis ipsis insit ad certam cognitionem rerum gignendam.

CAPVT PRIMVM

De facultatibus animae in universum

ART. I. Quid facultatum nomine veniat, explicatur

2. Facultas, sive potentia animae a s. Thoma ita definitur: *Proximum principium operationum animae* ².

3. Ut haec definitio recte intelligatur, explicandum in primis est, quid nomine *animae* veniat. Eorum, quae in hac rerum universitate existunt, alia *viventia*, altera *non viventia* dicuntur. *Viventia* sunt, quae se ipsa movent, id est operationes suas ex se exerunt, quin a causa extrinseca impellantur; e contrario, *non viventia* sunt, quae se ipsa non movent, id est non nisi a causa extrinseca ad agendum impelluntur ³. Porro illud, per quod res aliqua vivens est, vocatur *anima*; unde anima in universum definitur a s. Thoma, *primum principium vitae* ⁴.

4. Iam principium, a quo actiones animae dimanant, est quidem eadem *essentia*, seu natura animae ⁵. At vero ipsa suas actio-

¹ Unico *Psychologiae* nomine *Dynamilogia*, et *Anthropologia* significari solent. — ² I, q. LXXVIII, a. 4 c.

³ Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. XXIV, a. 1 c., et I, q. XVII, a. 1 c.

⁴ I, q. LXXV, a. 1 c. Dicitur *primum*, nam etiam cor, cerebrum, et alia in corporibus animantium dicuntur principium vitae; ast huiusmodi non sunt, nisi per animam.

⁵ *Essentia animae* illud est, secundum quod per eam et in ea habet esse;

nes non exercet, nisi per aliquas *qualitates* seu *virtutes*, quae sibi inhaerent. Huiusmodi qualitates illae sunt, quae *facultates*, vel *potentiae* animae appellantur. Ex his facile conficitur duplex principium actionum animae distinguendum esse, nempe principium *mediatum*, et *remotum*, quod est ipsa essentia animae, et principium *immediatum*, et *proximum*, quod est potentia animae, adeo ut essentia animae mediis potentiis sit principium actionum, eodem modo, quo radix arboris fructus, non nisi mediis ramis, profert.

ART. II. *Utrum animae facultates ab eius essentia distinguantur*

5. Fere omnes recentes Philosophi, quibus nuperrime Adolph. Garnierius adstipulatus est ¹, cum Pantheistis praefracte tuentur facultates esse re ipsa unum, idemque, ac essentiam ipsius animae; unde essentia animae, eorum sententia, non modo principium mediatum, et remotum, sed etiam principium immediatum, et proximum suarum actionum dicenda est. At ss. Patres, et plerique Scholastici, secundum definitionem *potentiae* modo a nobis allatam, eam ab essentia animae distinguendam esse docuerunt. Quare nos sequentem propositionem demonstramus:

6. *Potentiae animae ab eius essentia re ipsa distinguuntur.*

Probatur. 1° *Esse*, et *agere* in anima, perinde ac in qualibet re creata, realiter distinguuntur, quia in Deo tantum, propter infinitam Eius simplicitatem, infinitamque perfectionem, *esse*, atque *actio* unum idemque sunt. Atqui *esse* est actus essentiae, *agere* autem est actualitas potentiae. Ergo si *esse* et *actio* realiter distinguuntur, necesse quoque est, ut essentia, et potentia, a quibus, tamquam a principiis, illi actus promanant, inter se realiter distinguantur ².

2° Potentiae in ordine ad operationes prorsus consistunt, ita ut ab ipsis speciem suam accipiant, ac proinde eodem genere entis continentur, ac actiones, quae ab ipsis promanant, ita nempe, ut si potentia esset aliquid substantiale, etiam operationibus entitas substantialis attribuenda foret. Atqui actiones non

natura autem significat ipsam essentiam, quatenus *habet ordinem ad propriam operationem*. Cf s. Thom., *De ente, et essentia*, c. 1.

¹ *Op. cit.*, lib. II, c. 2, § 1.

² Cf s. Thom., I, q. LIV, a. 1, et 2 c.; *ibid.*, q. LXXIX, a. 1 c.

sunt ipsa substantia animae, sed quidquam, quod ipsi inhaeret. Ergo ne potentia quidem est substantia animae, sed quidquam, quod ipsi inhaeret, seu aliquid accidens eius. Atqui substantia, et accidens realiter inter se distinguuntur. Ergo inter potentiam quoque, et essentiam animae, quae quidem substantia est, realis distinctio admittatur oportet ¹.

3° Facultates animae, quemadmodum ostendemus, eiusmodi sunt, ut illarum una alteri subiiciatur, atque una ab altera pendeat. Atqui id fieri non posset, si essent ipsamet animae essentia. Ergo facultates animae ab ipsius essentia realiter distinguuntur ².

ART. III. *Utrum una, an plures sint animae facultates*

7. Philosophi, qui potentias animae dumtaxat *nomine* ab essentia distinguunt, re ipsa unam potentiam in anima agnoscunt. Huiusmodi opinio sequenti propositione a nobis refutatur:

8. *Plures in anima facultates sunt admittendae.*

Probatur. Anima, quippe quae cum corpore substantialiter copulatur, unamque substantiam completam cum eo efficit, non est solum intellectualis, sed etiam sensitiva, proindeque non solum ad intellectuales, sed etiam ad sensitivas actiones exerendas natura sua destinatur. Atqui actiones intellectivae, et sensitivae inter se specie sunt diversae. Ergo anima humana potentiis specie diversis natura sua pollere debet ³.

9. Nec repugnat simplicitati animae plures potentias habere. Etenim anima relata ad suas potentias non est totum *integrale*, hoc est, ex partibus conflatum, quae re ipsa abscindi possunt, quemadmodum, e. g., est domus, quae ex fundamento, pariete, tecto etc. exurgit, sed est totum *potentiale*, hoc est, aliquid unum, et simplex, cui insunt plures facultates inter se distinctae, tamquam diversa instrumenta, quibus virtutem suam diversis modis exercet ⁴.

¹ *Qq. disp.*, q. un. *De An.*, a. 12 c. Ex his argumentis colligitur, cur Pantheistae negent facultates ab essentia animae realiter distinguui. Ablata enim hac distinctione, ea, quae unius Dei propria sunt, nempe *esse* et *agere* non distinguui, et operationes esse aliquid substantiale, animae tribuenda essent. Quapropter animam, ut illi blaterant, ipsum Deum esse dicendum foret.—² *Op. cit.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 11 c.

³ Cf s. Thom., I, q. LXXVII, a. 2 c.

⁴ *Qq. disp.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 11 ad 19.

ART. IV. *Utrum, et quomodo facultates animae ab eius essentia emanent*

10. Duo hic investiganda nobis sunt: 1° utrum essentia animae sit subiectum omnium potentiarum; 2° utrum sit omnium earum principium.

Prop. 1°. *Anima sola non est omnium potentiarum subiectum.*

Probatur. Plurium potentiarum, quibus anima pollet, aliae, uti intellectus, et voluntas, sine organo corporis, aliae autem, uti potentiae sensitivae, per organa corporis, ab ea exercentur. Atqui si illae in sola anima, tamquam in subiecto, insunt, istae in toto coniuncto, nempe in anima simul, et corpore, inhaerent necesse est; nam aliqua qualitas cum in anima, tum in corpore sit oportet, ut operationes ab anima cum organo corporeis exerceri possint. Ergo sola anima non est omnium potentiarum subiectum 1.

11. Prop. 2°. *Essentia animae est omnium potentiarum principium, seu radix.*

Probatur. Nemo profecto dubitare potest, quin illae potentiae, quae in sola anima inhaerent, ab essentia animae fluant, quia quidquid animam afficit, ab eius essentia emanant necesse est. Idem dicendum est de illis potentiis, quae totum coniunctum pro subiecto habent. Et sane, corpus humanum est subiectum potentiarum, quae ab anima per organa corporea exercentur, non prout corpus est, sed prout ab anima informatur; quapropter corpus non prout corpus est, sed prout informatur ab anima, nempe corpus non per se, sed per essentiam animae, est subiectum aliquarum potentiarum. Atqui, si corpus est subiectum aliquarum facultatum per essentiam animae, illas quoque potentias, quae totum coniunctum pro subiecto habent, ab essentia animae, tamquam a radice, fluere dicendum est. Ergo essentia animae est omnium potentiarum principium 2.

12. Quod si quaeras, quo pacto potentiae animae ab essentia animae fluant, respondet tibi s. Thomas id contingere non per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem *resultationem*, nempe, quemadmodum, posito sole, vel alio lucido cor-

1 I, q. LXXVII, a. 5 c. — 2 *Ibid.*, a. 6 c.

pore, consequitur lux, ita, posita essentia animae, earum propriae facultates concomitantur 1.

ART. V. *De modo, quo facultates animae a nobis cognoscuntur*

13. Docuit Rosminius in investigatione potentiarum initium faciendum esse ab ipsa essentia animae 2. Contra huiusmodi sententiam statuimus hanc propositionem:

14. *Potentiae animae ex operationibus, quae per eas efficiuntur, atque operationes ex obiectis, circa quae versantur, perspicuendae sunt.*

Probatur. Illud, quod altero prius est cognitione, est principium, quo illud alterum cognoscitur, quia cognitio nostra ex noto ad ignotum progreditur. Atqui res obiectae sunt *cognitione* priores actionibus, atque actiones facultatibus. Ergo obiecta sunt principium, quo actiones cognoscuntur, et actiones sunt principium, quo cognoscuntur facultates 3. *Minor* ita demonstratur: 1° Obiecta prius, quam actiones, a nobis cognoscuntur; nam mens in primis obiectum directe apprehendit, deinde in se ipsam rediens, actionem, qua obiectum apprehendit, percipit 4. 2° Actiones a nobis prius cognoscuntur, quam facultates, quia, cum naturale nobis sit ex effectibus ad cognitionem causarum devenire, ex operationibus animae, quae sunt effectus facultatum, ad facultatum cognitionem naturaliter adducimur.

15. Quod si non de initio investigationis potentiarum animae, sed de ipsarum cognitione scientifica sermo sit, nos Rosminio concedimus illam ab essentia, quae communis fons earum est, deducendam esse, quia rei scientiam non adquirimus, nisi cum illam ex eius causa cognoscimus; causa autem, ex qua facultates emanant, est essentia animae. Itaque sententia, quam cum s. Thoma tuemur, haec est: Nos principio ex confusa cognitione actionum, et potentiarum ad cognitionem essentiae animae progredimur; deinde a cognitione essentiae animae ad cognitionem ipsarum potentiarum, et actionum regredimur, et quo mo-

1 *Ibid.* ad 3. Quocirca facultates sunt accidentia praedicamentalia, sed non praedicabilia, nam sunt animae proprietates, quae ex ipsa essentia animae naturaliter derivant; *ibid.*, a. 4 ad 5.

2 *Psicol.*, vol. II, lib. I, c. 1, § 735.

3 Cf *Qq. disp.*, De Ver., q. X, a. 9 c. — 4 *Ibid.*, loc. cit.

do in una essentia animae, tamquam in subiecto, sint, et quo ordine ab ea promanent, perspicimus.

ART. VI. De modo, quo facultates inter se distinguendae sunt

16. Si obiecta, et actiones, quae circa obiecta versantur, sunt principium, per quod potentiae animae cognoscuntur, necesse est, ut distinctio potentiarum a distinctione obiectorum, atque actionum repetatur. Quare sit haec propositio:

17. *Potentiae animae ab se invicem distinguuntur secundum distinctionem operationum, et obiectorum.*

Probat. « Omnia, ut s. Thomas inquit, quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, distinguuntur secundum ordinem eorum, ad quae dicuntur ¹ ». Atqui potentiae ad operationes, et operationes ad obiecta ordinem habent. Ergo potentiae secundum distinctionem operationum, et obiectorum ab se invicem distinguuntur ². Quapropter tot facultates animae insint oportet, quot sunt diversae actiones eius, diversaque obiecta, quae sunt actionum principia, aut termini.

18. Advertendum autem est distinctionem specificam facultatum desumendam esse ex obiectis non spectatis *materialiter*, nempe prout quaedam res sunt, sive secundum suam naturam, sed *formaliter*, nempe secundum illam rationem, qua sub potentiam cadunt. Quapropter obiecta diversa, imo contraria ad eandem potentiam pertinent, si per eandem *rationem formalem* ad eam referuntur. E. g., album, et nigrum, quamvis sint contraria, tamen ad unicam potentiam *visionis* spectant, quatenus in eo, quod sunt visibilia, conveniunt ³. Item facultates inter se distinguuntur non ex quibuscumque actionibus, sed ex iis dumtaxat, quae specie inter se diversae sunt, seu ex iis actionibus, quae ad idem principium revocari non possunt ⁴. E. g., ex tarditate, aut celeritate actionis, uti *moveri*, et *currere*, facultates non distinguuntur, nam hi modi speciem actionis non immutant.

ART. VII. Quot sint animae facultates

19. S. Thomas primo facultates animae humanae ad quinque genera revocavit, nempe *vegetativam, sensitivam, intellectivam,*

¹ 1^a 2^{ae}, q. LIV, a. 2 c. — ² Qq. dispp., De Ver., q. XV, a. 2 c.

³ 1, q. LXXVII, a. 3 ad 2. — ⁴ Qq. dispp., De Ver., q. XIV, a. 1 c.

appetitivam, et locomotivam. Deinde primas quatuor in varias species distinxit; scilicet facultatem vegetativam in *nutritivam, augmentativam, et generalissimam*; facultatem sensitivam in quinque sensus exteriores, qui sunt *visus, auditus, gustus, odoratus, et tactus*, atque in quatuor sensus interiores, nempe *sensum communem, phantasiam, aestimativam, et memoriam*; facultatem intellectivam in *intellectum agentem, et intellectum possibilem*; denique facultatem appetitivam in *appetitum sensitivum, et appetitum intellectivum*, qui dicitur etiam *voluntas* ¹.

20. Non plures his esse omnes animae facultates ea, quae in sequentibus capitibus dicturi sumus, luculenter commonstrant.

ART. VIII. De potentiarum distinctione in activas et passivas, et de potentia obedientiali

21. Facultatum, quas enumeravimus, aliae *activae*, aliae *passivae* sunt. Facultates activae, secundum s. Thomam, illae sunt, quae efficiunt, ut suum obiectum fiat actu; passivae, quae a suo obiecto iam actu existente ad agendum moventur ². Quapropter obiectum refertur ad operationem potentiae activae, tamquam terminus; ad operationem autem potentiae passivae, tamquam principium.

22. Potentia autem *obedientialis* secundum s. Thomam ita definitur: Quaedam non repugnantia, seu quaedam aptitudo, quae inest naturae creaturarum, ut a Deo accipere possint virtutem producendi effectus, qui vires suas naturales praetergrediuntur. Quapropter potentia obedientialis a reliquis potentiis differt: 1° ex eo quod istae ad effectus naturales ordinem habent, illa autem ad effectus supernaturales; 2° ex eo quod istae prorsus in naturis rerum fundantur, in potentia autem obedientiali naturalis est tantum non repugnantia, seu aptitudo, per quam creaturae a Deo nova virtute augentur; sed ipsa virtus producendi

¹ 1, q. LXXVIII, a. 1 c.

² Qq. dispp., De Ver., q. XVI, a. 1 ad 13. Hinc errant Galluppius (*Lezz. etc.*, lez. 96) alique, cum docent potentiam *activam* eam esse, quae aliquid agere potest, *passivam* autem, quae actionem in se recipiendi solum capax est. Nam, ut scite ab Aquinate observatum est (*loc. cit.*), quaelibet potentiarum tum activa, tum passiva expostulat, ut in quemdam actum prodeat.

illos effectus est supernaturalis, proindeque a Dei voluntate, et potestate *comtaxat* pendet ¹.

ART. IX. De conatu *potentiis insito*

23. *Conatus* est illa naturalis proclivitas, quae in potentiis ad actiones suas exercendas inest. E. g., visus vi conatus ad videndum tendit ².

24. Prop. *Cunctis animae potentiis conatus inest.*

Probat. Quaevis res naturalis sponte, seu natura sua fertur ad assequendum finem sibi a Deo praestitutum. Atqui potentiae animae sunt quaedam res naturales, et finis earum proprie consistit in exercitatione actionum, ad quas ordinantur. Ergo in potentiis animae inclinatio admittenda est, qua ad exercendas actiones sibi consentaneas naturaliter feruntur. Atqui haec inclinatio ea est, quae nomine conatus designatur. Ergo dubitari non potest, quin conatus omnibus potentiis animae insit ³.

25. Praecipui effectus conatus hi sunt: 1° Quo maior est conatus facultatis, eo perfectior est actio, quae producitur; e. g., perfectior est intellectio, si maior sit intentio ad intelligendum ⁴. 2° Quo vehementiori conatu aliqua facultas exercetur, eo debiliores sunt actiones reliquarum; e. g., si visus fortissime intenditur, auditus non percipit ea, quae dicuntur. Cuius ratio ex eo desumenda est, quod una est vis, quam anima in diversis potentiis diverso modo intendit ⁵.

ART. X. De habitibus *potentiarum animae*

26. Conatus potentiam dumtaxat inclinat ad exerendum quemcumque actum sibi consentaneum. At vero quaedam qualitas etiam potentiis inhaeret, qua ipsae ad agendum potius uno, quam alio modo, sive bene, vel male aptae fiunt. Huiusmodi qualitas

¹ III, q. XI, a. 1 c. et *Qq. dispp.*, De Potent. Dei, q. I, a. 2 ad 1. Cf. s. Aug., De Gen. ad litt., lib. IX, c. 17, et 18.

² Dicitur etiam *appetitus naturalis vel intentio*, quia per ipsum potentia naturaliter tendit ad finem suum assequendum, qui in exercitatione operationum sibi propriarum consistit.

³ Cf. s. Aug., De Trin., lib. XI passim, et s. Thom., *Qq. dispp.*, De Ver., q. XXII, a. 1 c.

⁴ Cf. Scot., *Quodlib.* XV, n. 8.

⁵ Cf. s. Thom., *Qq. dispp.*, De Ver., q. XIII, a. 3 c.

habitus nuncupatur. Quare habitus, secundum s. Thomam, definitur potest, qualitas, qua potentia ad agendum bene, vel male, hoc est, *secundum convenientiam ad naturam*, vel *secundum disconvenientiam*, determinatur, sive inclinatur ¹. Quoniam vero potentiae animae ab hac inclinatione, sive bene, sive male se habeant, semper adiuvantur, et promoventur ad agendum, ideo habitus, aiente eodem sancto Doctore, videtur significare aliquid potentiae superadditum, quo perficitur ad suam operationem ². Unde habitus potentiam *completere* dicitur ³, quia haec ope habitus sit *completae* operationis principium.

27. Si habituum origo spectetur, ipsi in *naturales*, et *adquisitos* distinguuntur. *Habitus* adquisitus est, qui « ex multiplicatis actibus generatur ⁴ ». *Habitus* autem naturalis « est, qui datur in creatione ⁵ ». Huiusmodi, e. g., est habitus, quo intellectus ad prima principia cognoscenda disponitur ⁶. Quia in re adnotandum est in habitu naturali naturalem esse inclinationem, qua potentia comparata est, ut actum complete perficiat, at non ipsius habitus exercitationem, haec enim ab aliquo exteriori principio pendet ⁷. Ita per habitum, quem loco exempli paulo

¹ 1^a 2^{ae}, q. XLIX, a. 4 c., et ad 3.

² *Qq. dispp.*, De Ver., q. XX, a. 2 c.

³ 1^a 2^{ae}, q. L, a. 2 ad 3. Plerique recentes Philosophi, inter quos Genuensis (*Metaph.*, Pars altera, prop. XLVIII), tuentur habitus ab ipsis potentiis, quibus inhaerent, non distingui, atque illos in facilitate actionem producendi consistere docent. At a vero longe aberrant. Etenim habitus, uti ex iam dictis constat, « supervenit potentiae, sicut perfectio perfectibili » (*In lib. II Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 1 sol.); ac proinde habitus a potentia, quam afficiunt, realiter distinguuntur, aequae ac perfectio re ipsa distinguitur a perfectibili, cui inhaeret. Hoc confirmatur ex eo, quod effectus aliter ad potentiam in se, sive absolute, aliter ad potentiam una cum habitu spectatam refertur, nam per potentiam actum simpliciter, per habitum vero illum bene, aut male exerere possumus. Facilitas autem, sive habitus agendi habitum non constituit, sed illius effectus, aut proprietas est, siquidem habitus est quaedam qualitas potentiae inhaerens, ex qua illa habitus exoritur.

⁴ 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 2 c.

⁵ *In lib. III Sent.*, Dist. XXIII, q. III, a. 2 ad 1.

⁶ Hic habitus ab Aquinate vocatur *intellectus principiorum*; 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 2 c.

⁷ Hinc s. Thomas docet habitus esse naturales dumtaxat *secundum inchoationem naturalem*; 1^a 2^{ae}, q. LI, a. 1 c. Genuensis (*ibid.*), Garnierius (*Traité des facultés etc.*, lib. III, c. 1, § 4, et lib. V, c. 5, § 2, et 4), Fran-